

14  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

51

De  
**CESSIONE**  
**BONORUM,**

Quam,  
DEO O. M. AUSPICE ET PRÆSIDE,  
EX AUTHORITY ET DECRETO

MAGNIFICI, NOBILISSIMI  
ET AMPLISSIMI  
FACTO RUM ORDINIS  
IN INCLYTA ET FLORENTISSIMA  
ACADEMIA MARBURGENSI

PRO  
Summis in utroque jure Honoribus ac Privilegiis  
DOCTORALIBUS ritè & legitimè capesendis,  
*Publico ac Solemni*

DNN. PROCERUM ACADEMICORUM examini submittit  
**JOHANNES HENRICUS Schotten/**  
GREBENSTEINENSIS HASSUS.

*In Augusto Factorum Auditorio,  
Ad diem 8. Decembr.*

Diss. jur. civ.

80,16

MARBURGI CATTORUM,  
is SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.  
Anno MDCLXX.

11

D. D. N. S. S. S.  
DISSERTATIO IN AUCTORITATE  
JURIDICA

DE  
GESTIONE  
BONORUM

LEO O. M. A. A. P. P. C. E. T. P. R. A. S. I. D. E.  
P. R. A. S. I. D. E. E. T. D. E. C. R. E. T. O.  
M. A. G. I. S. T. R. I. S. S. I. M. I.

IN AUCTORITATE  
ACADEMIAE M. A. R. I. A. E. G. E. N. S. I.  
P. R. A. S. I. D. E.

JOHANNES HENRICUS  
P. R. A. S. I. D. E. E. T. D. E. C. R. E. T. O.  
M. A. G. I. S. T. R. I. S. S. I. M. I.

LEO O. M. A. A. P. P. C. E. T. P. R. A. S. I. D. E.  
P. R. A. S. I. D. E. E. T. D. E. C. R. E. T. O.  
M. A. G. I. S. T. R. I. S. S. I. M. I.

## JOVA JUVA.

*Præloquium.*

**Q**UAMVIS singulari sapientia claro teste Se- *Lib. 2. de be-*  
 neca, *grave sit tormentum* DEBERE, nihilo- *nes. c. 8.*

minus tamen cùm nemo hominum tantæ soler-  
 tiæ repertus qui necessaria sibi soli subministrare  
 sibiq; sufficientem rerum omnium abundantiam  
 firmiter polliceri possit, quippe eã humanæ vitæ  
 conditionem esse videmus, ut alius harum rerum  
 affatim possideret, quibus alter carere cogere-  
 tur, alius verò illis abundaret sine quibus alter in  
 societate, si non vivere saltē, tamen non commo-  
 dè vivere possit: quod enim huic superfluū fuit,  
 alteri defuit, & vix ullam tam cultam republi-  
 cam reperire licet, quæ suam ubicunq; supplere  
 possit indigentiam secundum illud Maronis:

Hic segetes, illuc veniunt felicius uvæ,  
 Arborei foetus alibi atque injussa virescunt  
 Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolos odores,  
 India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?

*Virg. lib. 1.  
 Georg.*

Cùm itaque summa illa contractuum atque  
 commerciorum necessitas ad supplendum de-  
 fectum humanum cuivis ad oculum clarissimè

pateat, ita nec minus necesario quacunq; in bene constituta Republica ad firmitatem illorum servandam remedia legitima in jure à legislatoribus salutariter proponi nemo non fateri cogitur: Hinc actiones, quibus creditores debitores suos qui fortè tergiversantur & moras nectunt aut solutionem plane recusant ad satisfaciendum adigere, suumq; consequi & recuperare possint. Ast haud rarerè contingere neminem inficias ire credo, ut obligatus se & debitorem profiteatur promptumque se sine judicis sententiâ, quantum quidem in se est, ad solvendum sistat, attamen, cùm sæpissime vel calamitate belli, flagranti incendio, crudeli rapina aut luctuoso naufragio vel alio aliquo fatali casu ad tantam redactus inopiam, ut omnibus etiam superstitem facultatum suarum viribus excussis solutioni par non sit, abindeque præter rigiditatem morosi & impetiosi creditoris carceris molestiam jamjam minitantis ne quicquam solaminis superfit: Cui malo Sacratio. Impp. commiserationis affectu ducti obviam euntes  
inter

inter alia remedia salutifera beneficio CESSIO-  
 NIS BONORUM contra exactiones hasce  
 acerbis insolito ac improvise aliquo casu depau-  
 peratis saluberrimè succurrere voluerunt: quo  
 de beneficio in foro & curiis admodum fre-  
 quenti & insignem usum spiranti impræsentia-  
 rum Disputationem Inauguralem pro virium  
 tenuitate instituere operæ pretium duximus:  
 Ne autem, dum hoc fiat, planè *αμείδιως* nulloque  
 servato incedamus ordine, ita eum commodis-  
 simè ineundum putavimus, ut præmissâ prius  
 materiæ hujus Etymologia atque Homonymia  
 aliqualis eiusdem definitio proponatur, quibus  
 exactis juxta præcipuarum quatuor causarum  
 seriem hincque secuturum effectum materiam  
 ipsam enodare allaborabimus; ultimo denique  
 loco labori huic affinia & contraria subjunge-  
 mus. Id quod ut feliciter procedat; In nomine  
 Domini nostri Jesu Christi ad omnia consilia  
 omnesq; actiones nostras progredientes *l. 2. pr.  
 C. de off. præf. Prætor. Afric.* huius auxilio devotè  
 implorato ad propositū ipsum nos accingimus.



THESIS I.

**D**esignatam ergò methodum observaturis primo loco proponenda venit Etymologia, de qua tamen non magnopere erimus solliciti, cùm perspicuum sit vocabulum CESSIONIS à verbo Cedo, cedere quod Germanicè significat weichen/ abtreten oder nachgeben. Hinc ipsum verbale CESSIO eine Abtretung oder Nachlassung/ quæ tamen vox non unam eandemq; in jure nostro sortitur significationem, sed pro diversitate subjectorum, de quibus prædicatur etiam diversimode capitur. Nam (1) denotat cessionem in jure, quæ erat species alienationis. Ulpian. *in fragm. tit. 19. §. 8.* (2) accipitur pro jurium quasi traditione, v. gr. *ulusfructus. §. 3. Inst. de usufr. l. 66. ff. de jur. dot.* vel etiam alterius cujusdam servitutis realis constitutione *l. 22. ff. de servit. præd. rust. l. 11. ff. comm. præd. rust.* (3) significat existentiam & nativitatem obligationis *l. 213. ff. de V. S.* (4) Translationem actionis, quando nempe quis procurator in rem suam constituitur & in commodum proprium, licet cedentis nomine agat *l. pen. C. mandat. l. 27. §. 1. ff. de minor. l. 76. ff. de solut.* (5) cursum temporum in actionibus & accusationibus *l. 1. §. 1. ff. de jur. & fact. ignor. l. 6. ff. de calumniat. l. 4. pr. ff. ad L. lul. de adult.* (6) Omissionem fori quæ de iis dicitur qui foro cedunt *l. 7. §. 2. ff. de pos. l. fin. ff. de curat. bon. dand.* Denique (7) posthabitis jam brevitatis studio aliis significationibus sumitur pro bonorum in manus creditorum dimissione, Germanicè Abtretung der Güter/ de qua ut *in rubr. & tot. tit. ff. de Cessione bonorum & C. qui bonis cedere possunt.* Et de hac ipsa impræsentiatum agere proposuimus.

THES.

Et sic breviter vocabuli origine ejusq; homonymia perspectâ ad definitionem Cessionis nos conferimus. Est autem **CESSIO BONORUM** *actus, quo debitores oberati omnia bona sua urgentibus creditoribus spontè dimittunt ut ab importunitate & molestiis eorum liberentur iisdemq; quoad ejus fieri possit, interea satisfiat. l. 1. l. 4. l. 7. & pass. C. qui bon. ced. poss. Wes. in parat. ff. de cesp. bon. Struv. Synt. jur. civ. Exerc. 44. th. 25. Nobiliss. & Ampliss. D.D. Ericus Graffius J Ctus famigeratissimus & Antecessor in Almâ hac Universitate primarius, Patronus & Præceptor meus nunquam sine venerabili recordatione memorandus in Collegio suo didact. ad tit. ff. de cesp. bon. in princ. Diximus autem quòd sit *actus*, quia hæc vox omnia comprehendit quæ quovis modo aguntur l. 19. ff. de V. S. Hahn. in obs. ad Wes. in parat. ff. de donat. n. 2. vers. ut sit *contractus*. quod ipsum vocabulum generis loco positum commodius nobis visum quàm beneficium seu remedium legitimum; respicimus enim actum potius secundum, id est, exercitium sive usurpationem quàm beneficium ipsum seu remedium juris, quod generis vice aliis ipsi assignate placet, per l. 1. l. 4. C. qui bon. ced. poss. Non tamen vocem hanc in excellentiori & strictiori significatu acceptam hic volumus prout nonnunquam notat actum legitimum, id est, eum, qui solennis est, nec per procuratorem aut sub conditione vel ad tempus expediri potest, ut sunt adoptio, tutoris datio, servi optio &c. l. 77. ibiq; Dd. ff. de R. 1. l. 4. l. 34. ff. de adopt. quamvis diffiteri nolimus quo minus cessio hæc suo modo, in generali & vulgari nempe significatu dici possit actus legitimus, talis nimir. qui legibus permistus iisq; conformis est; Ita legitimum tempus l. 5. ff. de usufr. l. 19. ff. de minor. l. 8. l. 10. ff. de his qui not. infam. legitima ætas l. ult. §. 9. ff. de public. & vecti-  
gal.*

*gal. l. ult. in fin. ff. de appell. & relat. item legitima uxor l. 4 ff. de rit. nupt. legitima hereditas l. 13. pr. ff. de acquir. vel omitt. hered. plures ejusdem significationes in jure nostro & apud Dd. passim imprimis Wesenb. ad auth. novissima C. de inoffic. test. reperire licet. Reliquorum verborum quæ differentia specificæ loco in definitione sunt expressa, intellectus ex dicendis facile apparebit.*

THES. III.

Hicce breviter sic prælibatis, ut penitus paulò in cognitionem & naturam materiæ nostræ inquiremus, ad causam ejus efficientem recta viâ deducimur. Eam autem duplicem statuimus: Remotam & Propinquam. Remotam esse dicimus Legem Juliam, quæ an à Julio Cæsare, an verò ab Augusto lata sit, licet nondum inter omnes constet. Iust. Meier. *in Colleg. Argent. ad tit. ff. de cession. bon. §. 3.* Hottoman. *quest. Illustr. 24.* Nos tamen moti testimonio Suetonii Tranquil. *in Julio Cæsare c. 42.* originem ejus Julio Cæsari adscribere malumus cum Menoch. *de arbitr. jud. quest. lib. 2. quest. 183. n. 7.* Petr. Gregor. Tholol. *in syntagm. jur. univ. lib. 22. cap. 14. n. 1.* Casp. Mantz. *in patroc. debit. decad. 2. q. 1. n. 33.* Hic enim primùm debitoribus ære alieno oppressis hoc ipsum indulgit beneficium, uti rectè dici meretur in *l. 1. & l. 4. pr. C. qui bon. ced. poss.* non quidem per se, simpliciter & absolute, cùm debitorem omnibus facultatibus suis exuat atque ad extremam paupertatem & inopiam redigere soleat, sed comparative solum, intuitu scil. majoris mali, molestia videl. carceris, ad quod evitandum cessio bonorum introducta & adinventata est. Wilhelm. Anton. *de rescript. morat. tit. 4. conclus. 5. n. 9.* Hinc in sensu absoluto & spectata miseriâ paupertatis cessione coherens etiam flebile appellatur, adjutorium in *l. 7. C. eod.* item miserabile auxilium in *l. 8. pr. C. eod.*  
Ces-



Cessio invidiosa l. 5. C. eod. viaq; omnium infelicissima Nov. 3. in prafat. circ. fin. quòd si enim cessionem hanc cum innume-  
ris malis, quibus obrati debitores antiquitus obnoxii erant,  
conferamus, ingens pariter ac insigne hoc ipsum beneficium  
esse nemo non videt, quippe debitores hujusmodi non so-  
lùm ærumnolis carceribus mancipari verùm etiam durissi-  
mæ creditorum servituti addici solebant.

THES. IV.

Hujus severi procedendi modi origo ex ipsa L. XII. Tabb.  
descendit, quæ creditori potestatem dedit confesos æris  
alieni & condemnatos non tantùm capiendi, nervo compe-  
dibusq; vinciendi, ut tamdiu servirent, donec ære alieno se  
liberarent, sed insuper, quod crudele & efferatum est, si plu-  
res forent creditores, in partes corpus inopis debitoris seca-  
ri, attusq; ejus inter se partiri permisere Matth. Coler. de pro-  
cess. execut. part. 1. c. 6. n. 125. quem tamen rigorem nunquam  
observatum fuisse testatur Petrus Gudelin. de jur. novis. lib. 4.  
c. 16. vers. extremum. ex Gellio lib. 20. Noct. Attic. c. 1. imò eum  
confulari lege planè abrogatum esse post alios notat Hotto-  
mann. d. quest. 24. Hillig. in Donell. enucl. lib. 27. cap. 3.  
lit. Hh. Sic in politia Hebræorum debitores ære alieno ob-  
rutos in servitutum redactos fuisse sacræ docent pandectæ  
Levit. 25. vers. 39. Deut. 15. vers. 12. imò non solum ipsorum-  
met debitorum personæ sed & eorum uxores & liberi vendi-  
tionis ac servitutis periculum subire cogebantur ut innuit lo-  
cus 2. Reg. 4. vers. 1. Idem exprimit Salvatoris nostri parabo-  
la de Rege servorum suorum rationes examinante Matth. 18,  
vers. 25. quo de more acerbo valde quoque conqueritur mi-  
les ille Romanus apud Liv. lib. 2. dum squalida veste & mise-  
rabili corporis habitu se in forum projiciens circumfusæ tut-

B

bæ

*bæ* tergum recentibus verborum vestigiis fœdum ostentasset: Quod cum nimis durum & austerum Divis Imperatoribus visum fuit, ut liberum corpus, cuius tanta est dignitas ut nullam recipiat æstimationem *l. 3. ff. si quadrup. paup. fec. dic. l. 1. §. 5. l. fin. ff. de his qui effud. vel dejec.* ob debitum nummarium libertatem, quæ est res inæstimabilis *l. 106. ff. de R. l. amittat*: Idcirco ex singulari humanitate & commiseratione Constitutionibus suis prohibuerunt ne ob æs alienum liber homo pignori supponatur *l. 6. C. quæ res pign. dar. poss.* multò minus servituti addicatur *l. 12. C. de Obl. & Act.* quæ sanctiones tandem latius sunt extensæ & mitius cum obæratibus agi cœptum: quem in finem introducta est prælaudata Lex Julia ut bonis suis cedendo carceris squalorem aliasq; creditorum vexationes evitare valeant *l. 1. l. 4. C. qui bon. ced. poss. Wes. in parat. ff. de cess. bon. num. 3. ibiq; Hahn. Zoës. ad eund. tit. num. 1.*

### THES. V.

Hucusque de causa Remota: Proxima est voluntas debitoris inopis, qui de solvendo interpellatus tantum in bonis non habet, ut ære alieno se extricare possit *l. 6. C. d. t.* Contingit autem isthæc inopia vel solo fortunæ casu, vel solo vitio five dolo malo debitoris, vel denique partim fortunæ casu, partim culpa debitoris: Quibus præsuppositis, facili negotio videre est, quinam beneficio hoc gaudeant, & qui ab eodem arceantur. Primi itaque generis, cujusmodi sunt qui vel maris tempestate obortâ aut per insidias piratarum merces & bona sua perdiderunt, hostium incursum perpesi aut in manus latronum inciderunt, meritò misericordiâ digni sunt adeoq; ad beneficiû cessionis admittendi, quò vincula & carceris molestiam subterfugere possint: Unde nec beneficium

cium

cium hoc ab æquitate alienum esse videmus, siquidem prohibemur afflicto afflictionem ulteriorem & majorem calamitatem addere *l. 14. ff. de offic. pres. l. 9. §. 1. ff. ad L. Pompej. de parricid. c. 5. X. de cleric. agrot. vel debil.* Et quis eorum non misereatur, qui tali suppressi jacent fortunæ impetu, cui nullo consilio, nullâ prudentia nulloque humanarum virium robore resistere potuerunt? *l. 2. §. 7. ff. de administr. rer. ad civit. pertin.* Siquidem ei non debet imputari per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerit faciendum *c. 14. de R. l. in 6.* Ac si creditor bonus est homo, nunquam non tot debitoris damna à militibus vel infortunio perpesi miserebitur *d. c. 5. X. de cleric. agrot.* tantum abest ipsum ei insultaturum & contra illum rigorosam petiturum exactionem: Bonus namq; homo magis ad commiserationem inclinatur quàm ut proximi infortunium se ad insolentiam erigere patiat, ut loquitur Imper. in *l. 1. C. de revoc. donat.* maximè si creditor perpendat quòd hæc cessio non omnino ipsi jus suum auferat sed ad tempus, usque dum scil. debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit, executionem saltem differat eamque suspendat.

THES. VI.

Circa personas bonis cedere volentes non refert, num una sit saltem persona quæ bonis cedere vult, an verò universitas: Nam & collegium aliquod aut tota Ecclesia rectè cedere potest. *Nov. 3. in prefat. vers. cum verò. Menoch. d. l. n. 13. & 16. Duaren. ad tit. ff. de cess. bon. cap. 3. Tholos. d. l. c. 9. n. 9. Schneidw. ad §. ult. Inst. de action. n. 4. Zoës. d. l. n. 4. Nec H. interest an cedentes bonis sint patresfamilias an filiam. l. 7. C. qui bon. ced. poss. Wesenb. in parat. ff. de cess. bon. n. 3. Gregor. Tholos. d. l. c. 9. n. 1. Peretz. in C. qui bon. ced.*

B 2

poss.

*posf. n. 4.* quippe cùm & hi ex contractibus suis tanquam patresfam. obligentur & convenientur *l. 39. ff de Obl. & Act.* nec non bona habeant quæ patribus non acquirant sed pleno jure sibi retineant, ut sunt bona castrensia & quasi castrensia, ut & adventitia, quorum proprietas patri non acquiritur: item peculium profectitium ex voluntate patris §. I. *Inst. per quas person. cuiq. acquir.* imò etiam si hi nihil in suo censu habeant, ne tamen patiantur injuriam incarcerationis, à bonorum cessione excludi non debent per text. express. *in d. l. 7.* Hahn. *in Obs. ad Wes. d. n. 3. vers. quam filiosam.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. D.* Brunneman. *in l. 7. C. qui bon. ced. posf.* Ita neque III. ratio sexus habetur, quia tam foeminae quàm masculi bonis cedere possunt *d. l. 7. ibi: utriusq. sexus.* Unde etiam patet foeminas olim de jure Codicis pro debitis tam privatis quàm fiscalibus in carcerem conjici potuisse. Schneidw. *ad d. §. ult. Inst. de act. n. 4.* quod tamen jure novissimo per *Nov. 134. c. 9.* & inde desumptam *Auth. Hodie novo jure. C. de custod. reor. & Auth. sed hodie novo jure C. de offic. divers. judic.* videmus abrogatum. Bachov. *d. th. 4. lit. C.* Harprecht *ad d. §. fin. Inst. de act. n. 4.* Sic IV. eodem beneficio gaudent qui jurarunt se soluturos, licet quidem juramentum præcisè obliget, id tamen ita intelligendum, si possibile sit ei qui juravit promissum in specie implere, cùm juramentum ad impossibilia obligare nequeat. Zoël. *ad d. tit. ff. de ces. bon. num. 3.* quo tamen casu tutius esse alii existimant ut debitor, qui juravit prius absolutionem à juramento impetret quam facilè dat impossibilitas. Hahn. *ad Wes. d. l. n. 3. vers. ab omni debitore.* Struv. *Synt. jur. civ. Exerc. 44. th. 26.* Zoël. *d. l.*

THES. VII.

Neque V. à nostro beneficio arcentur qui cessionire-  
nun-

nunciârunt : quia hujusmodi renunciatio esset impeditiva humanitatis & misericordiæ, dum in effectu per eam renunciâns se obligat ad carceres & sic probabiliter ad perpetuos: non enim facilè carceri inclusus media solvendi sibi procurare poterit, cùm aliàs extra carceres faciendo operas quotidie lucrari quicquam possit & sic ad pinguiorem fortunam pervenire, quod tamen in carcere ipsi haud continget, adeoque creditor qui renunciationem hanc approbat & nec sibi quid proficit & nocet debitori. Nec tamen desunt qui contrarium asserere malint, moti *arg. l. pen. C. de pact.* quòd quilibet pro se & in favorem suum introductis validè renunciare possit, nec non *l. fin. C. qui bon. ced. poss.* quòd debitor tacitè cessionem renunciare possit, si videl. obtinuerit dilationem quinquennalem, qua elapsa ad bonorum cessionem non admittatur, proindeque nihil prohibere videatur quin eodem modo expressè & obligando se carceribus hoc beneficium ejurare possit. Verùm hujusmodi renunciationem paulò attentius considerantes nulli dubitamus, quin ea contra bonos mores quid inducat, proindeque nec admittenda, quoniam ex modò dictis abundè constat quòd renunciâns tacitè carceri perpetuo & consequenter servituti quodammodo se obliget quod jura nostra meritò prohibêt. *arg. l. 6. l. 10. & l. 36. C. de liber. caus. Gail. de pac. publ. lib. 2. cap. 2. n. 22. & seq.* Deinde quia beneficium hoc favore humanæ potius conditionis indultum est quàm in utilitatem singulorum inductum, hinc consecrarium, quòd à privato ei renunciari nequeat; Et sic sponte sua corrui argumentum à facultate renunciandi favorisuo petitum. Alterum illud quod ex alleg. *l. fin. C. qui bon. ced. poss.* desumptum haud firmiore niti videtur talo; siquidem ex ea neque expressa neque tacita colligi potest re-

nunciatio sed merè legalis denegatio atque ademptio. Peretz. *d.l.n.20.* Zoëf. *ad d. tit. ff. de cesf. bon. n.17.* Tholosan. *d.l.c.15. per tot.* Menoch. *de arbitr. jud. quest. lib.2. q.183. n.18.* Mantz. *patrocin. debit. decad. 2. quest.6. n.167. cum seqq.* Est autem hæc renunciatio adeo invalida ut ne quidem juramento firmari possit, quod ex antè asertis satis innotescit, cùm aliquid contra bonos mores secum trahere videatur, ea autem quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. *l.15. ff. de condit. instit.* Et licèt aliàs juramenta quæ non vergunt in dispendium salutis æternæ nec tendunt in alterius detrimentum, sint servanda *c. quamvis 2. de pact. in 6. c. cum contingat 28. X. de jurejur.* Attamē quamvis hoc ipsum juramentum à debitore quidem servari possit, non tamen omnis abest iniquitas ex parte creditoris hujusmodi juramentum extorquentis, quæ ipsa cùm sit contra bonos mores, efficit, ut vis juramenti debilitetur & petitâ ejus relaxatione annulletur. Perez. *d.l.n.21.*

### THES. VIII.

Extenditur etiam VI. beneficium cessionis ad debitorem ex causa tributorum obligatum qui per infortunium lapsus ea solvere nequit. *l.2. C. qui bon. ced. poss.* cùm nec is qui munere civili functus est, bonis cedere prohibeatur *l.3. C. eod.* Bachov. *ad Treutl. vol.2. disp.24. th.4. lit. C. vers. debitor fisci.* Peretz. *d.l. n.10.* Hahn. *ad d. tit. n.3. vers. ab omni debitore in fin.* Tholos. *Syntagm. jur. univ. lib.22. cap.10. n.3. & 4.* Non denegatur VII. Proscripto vel deportato, quem hodie ban- nitum vocamus, cujus bona omnia per fiscum publicata sunt, si postea restitutus pristina bona recuperaverit. *arg. l.1. l.4. C. qui bon. ced. poss.* Nec contrarium asserentibus patrocinari videntur *l.2. ff. de sentent. pass. l. pen. C. eod.* ex quibus  
texti-

textibus patet quidem quod restitutus qui per deportatio-  
nem ab obligationis nexu liberatus erat *per l. i. C. de fidejuss.* si  
ei à Principe facultas bona sua recuperandi concessa fuerit,  
cogatur ea recipere & non possit ea derelinquere ad hunc  
effectum, ut creditorum actiones adversus ipsum inanes sint  
futuræ, non tamen inde aptè concluditur: Ergò bonis ce-  
dere nequit, cùm bona recipere possit & citò illis rursus ce-  
dere. Admittitur quoque VIII. is qui initio quidem debitum  
negavit, postea tamen id confessus est, *per l. i. C. qui bon. ced.  
posf. in verbis: ne judicati, id est, damnati detrahantur in carce-  
rem;* oportuit igitur eum, qui condemnatus est, debitum  
negasse, cùm iudicium in invitum & contradicentem redda-  
tur *l. 83. §. i. ff. de V. O.* tum etiam quia propter mendacium  
quis jus sibi competens non amittit nisi in casibus à jure ex-  
pressis: Jam verò nusquam reperitur expresum, quòd, quia  
negavit quis debitum, beneficio cessionis privari debeat,  
meritò itaque hoc ipsum ei non præcluditur. Hilliger. *in Do-  
nell. enucl. lib. 27. cap. 9. lit. Ee.* Just. Meier. *in Colleg. Argent. ad  
tit. ff. de cess. bon. num. 3. in fin.* Harprecht. *ad §. fin. Inst. de act.  
n. 18. & seqq.* Brunnem. *in l. 2. C. qui bon. ced. posf.*

THES. IX.

Hinc facili negotio occurrere possumus textibus qui as-  
sertionem istam evertere videntur in *l. 4. §. i. ff. quod cum eo qui  
in alien. pot.* ubi filiusfam. qui beneficio competentix gaudet,  
illud amittit, si patrem familias se mentitus est, & in *l. 22. §. i. ff.  
de re jud.* ubi socio exceptio ejusdem beneficii adimitur, quòd  
negaverit se socium esse. Nam à casibus in jure expressis ad ca-  
sus non expressos argumentatio non semper procedit, Meier.  
*d. l. num. 3. in fin.* imprimis si illorum differentia appareat, quæ  
hic talis, quòd filiusfam. & socius se tales esse inficias eant,  
pro-

proindeque negent ipsam causam ob quam beneficium competentiae iis indultum, quod tamen non facit qui debitum inficiatur, cum non debitum in se, sed inculcata paupertas sit cessionis hujus causa. Conf. Harprecht. *d.l. n. 20. & seq.* Peretz. *d.l. n. 9.* Et hæc maximè obtinent in eo, qui non quidem dolosè aut fraudulentè debitum inficiatus est, sed animo saltem titubante & ancipiti fluxaq; mente oblivionem allegavit: *Als wehre ihm die Schuld vergessen und aus der Acht kommen: Ist hoc quippe casu dubitans pro ignorante reputatur arg. l. 1. pr ff. de leg. 3. l. fin. C. de conduct. indeb. ignorantia autem à poena negationis excusat Bald. in l. 4. C. de cond. indeb. Wilhelm. Anton. de rescript. morat. tit. 7. concl. 25. n. 8. Berlich. concl. pract. part. 2. concl. 24. n. 94.* Denique IX. è numero horum, qui gaudent beneficio nostro, non eximitur heres, qui de debitoris hereditate inventarium non confecit Treutl. *select. disp. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. C. ibiq;* Bachov. quæ tamen cessio non eum operatur effectum ut contra Constitutionem Imper. Justiniani in *l. ult. § 14. C. de jur. deliber. Nov. 1. c. 2.* heres non teneatur in solidum legatariis & creditoribus hereditariis, licet hereditas re vera solvendo non sit, & quod liberetur, si bonis se cedere dicat, sed saltem, quòd audiri debeat si cedere omnibus bonis suis sit paratus Bachov. *d.l.* ubi dissentientium opinionem fusè satis refellit.

THES. X.

Tantum itaq; de personis quæ beneficio cessionis gaudent; Offert se jam catalogus illorum qui bonis non cedunt: Et horum duo constituuntur genera: Unum eorum, qui ad hujusmodi patrocinium confugere necesse non habent: Alterum illorum quibus beneficium hoc, etiamsi eo uti velint, jure denegatur. Ad priorem classem referuntur I, illi quibus

bus



bus conceditur beneficium competentiae, quod certis iisq; in iure expressis datur personis, ne conveniantur in solidum, sed in id quod facere possunt, id est, ita condemnati, licet plus debeant, possint tamen retinere ea, quæ ipsis ad sese honestè exhibendum & egestatem evitandam sunt necessaria *l. 19. §. 1. l. 30. ff. de re judic.* Cujusmodi beneficio fruuntur (1) parentes & liberi *l. 16. l. 30. ff. eod.* cujus ratio posita tum in reverentia, quam liberi parentibus utriusque sexus debent *l. 4. ff. de curat. furios.* tum in affectu qui parentibus erga liberos naturaliter est inditus *l. 8. §. 3. ff. quod met. caus.* (2) patronus & patrona horumq; liberi *l. 17. ff. de re judic.* quia persona patroni semper sancta & honesta liberto videri debet ob ingens beneficium libertatis *l. 9. ff. de obseq. par. & patron. prestand.* Exemplo quoque patroni eodem beneficio gaudet (3) Dominus feudi, erga quem Vasallus non solum devotè & humiliter se gerere debet *2. F. 23.* sed etiam ipsum, si egeat, alere tenetur *arg. 2. F. 6. 2. F. 26. §. licet. Ludwel. in Synops. jur. feud. cap. 14.* (4) Fratres *arg. l. 63. pr. ff. pro soc* si enim lociis beneficium hoc concessum est, quò loco fratrum sint, necesse est, ut & ipsis fratribus multò magis competat, juxta vulgatum Logicatorum Canonem; Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est. *Bachov. ad §. 38. Inst. de act. Vinn. ibid.* (5) Maritus, sive ratione dotis reddendæ *d. l. 17. ff. de re judic. d. §. 38. Inst. de act.* sive ratione cujuscunque contractus stante matrimonio cum uxore initi conveniatur *l. 20. ff. de re judic.* (6) Uxor, sive ob dotis promissionem *l. 17. §. 1. ff. solut. matrim.* sive ob aliud debitum conveniatur *d. l. 20. cum,* quod in uno relatorum obtinet, idem etiam locum habeat in altero. *arg. l. ult. C. de indict. vid. toll.* (7) Donator, si ex causa donationis conveniatur *d. §. 38. l. 19. §. 1. l. 30. ff. de re judic. l. 12. ff. de donat. l. 28. ff. de R. l.* tum ob singulare meritum quod

C

ab

ab eo ad donatarium est profectum, tum ne ex liberalitate sua inops fieri periclitetur *l. 50 ff. de re judic.* (8) Socius, si ex causa societatis conveniatur, cum societas jus quoddam fraternitatis in se habeat. *l. 63. pr. in fin. ff. pro soc. l. 16. ff. de re judic.* (9) Miles, qui sub armata militia stipendia meret *l. 6. pr. l. 18. eod.* (10) Clerici, quia & hi executionem non patiuntur ultra quam facere possunt, proindeque nec bonis cedere tenentur per *c. Odoardus 3. X. de solut.* ibique Zoës. num. 3. & 4. Valens. n. 6. Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. H. vers. non etiam clerici.* Ampliss. atq; Excellentissimus D. D. Kornman. J. C. tus Eminentissimus, Præceptor ac Patronus meus ætatem devenerandus in prælectionibus ad *Decretal. tit. de solut. quest. 1.* Deniq; (11) juxta interpretes milites togatæ militiæ, hoc est, Doctores, Advocati, hi namq; non minus provident humano generi quam si præliis atque vulneribus patriam parentesq; salvarent: nec minorem navant operam Reipublicæ quam illi qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur *l. 14. C. de advoc. divers. judicior.* cujus tamen rei perperam à nonnullis redditur ratio, quòd hoc præsertim tempore Doctoribus omnibus communis sit paupertas, cui nemo invidet, hinc exceptionem quoque competentia, quæ paupertatis sit privilegium, illis tribuendam esse. Verùm potissimam hujus rei causam paupertatem non esse nemini non perspectum est, quia sic quivis tandem beneficio isto uti vellet, quod tamen à juris ratione alienum.

THES. XI.

Adeandem classem II. pertinent illi, qui ob debitum incarcerationi nequeunt, quia beneficium cessionis ob carceris molestiam evitandam principaliter inductum est, ideoq; in quibus isthæc ratio cessat, ipsum quoque beneficium cessare

sare

lare consequens est. Hinc (1) fœminæ hodie bonis non cedunt, quamvis olim isto beneficio cum maribus uti potuerint *l. pen. ibi filiisfam. utriusq. sexus. C. qui bon. ced. poss.* quia tamen ex Imper. Justiniani Constitutione ipsi distributum, ne ob debitum civile & pecuniarium carceribus includi possint *Nov 134. c. 9. auth. sed hodie C. de offic. divers. judic.* sequitur inde fœminas bonis hodie non cedere. Menoch. *de arbitr. jud. quest. lib. I. quest. 88. n. 12. & seqq.* Schneidw. *ad §. ult. Inst. de act. n. 4.* Idem (2) concessum est Nobilibus & Doctoribus aliisq; personis egregiis & in dignitate constitutis, ne ob debitum carceribus mancipari possint. *arg. l. 6. ubi Dd. C. de Profess. & medic.* Menoch. *d. l. num. 7.* Berlich. *conclus. pract. part. 2. concl. 28. n. 39.* Coler. *de process. execut. part. 2. c. 3. n. 157.*

### THES. XII.

Ad posteriorem classem referuntur illi, quibus cedere etiam volentibus via ad hoc beneficium planè præcluditur, quales sunt (1) qui in fraudem creditorum suorum bona alienarunt ac dissipârunt, cum nemini fraus & dolus patrocinari debeat *l. fin. § fin. ff. quæ in fraud. credit.* Tholol. *Synt. jur. univ. lib. 22. cap. 9. n. 10.* Peretz. *in Cod. qui bon. ced. poss. n. 6.* Hahn *ad Wes. parat. ff. de cess. bon. n. 3. vers. ab omni debitore.* Struv. *in syntagm. jur. civ. Ex. 44. th. 26.* (2) Decoctores, qui bona sua luxuriosè vivendo helluandoque consumpserunt vel alea chartisq; perdiderunt aut amoribus & delinimentis meretricum, quarum venenis animi perditorum inficiuntur *l. I. C. de natural. lib. mancipati expensarum neque finem neque tempus servârunt, sed bona sua dilacerando ac dissipando protuderunt l. 1. pr ff. de curat. furios.* Welche das ihris ge verspielen/ verschlemmen und sonst mit præchtigen Kleidern unnützlich verbringen quos Græci ἀσώτους, ἀκολάστους appellant;

lant; non enim digni sunt commiseratione qui suâ turpitudine sibi causarunt inopiam, sed carceribus potius mancipandi sunt, donec solvant, quia non modò læserunt privatos, sed & ipsam Rempublicam, cujus interest ne quis te suâ abutatur §. ult. Inst. de his qui sunt sui vel al. jur. Huic gregi (3) annumerantur, qui foro cedunt ac multorû pecuniis interceptis contra fidem, quam dederunt, solum vertentes aliò confugiunt, quos Bancæruptores, Fallitos, Germ. Banckrottirer/ Banckrotspieler/ Falliten. Gallicè Banqueroutiers qui rompent la banque, vocamus, vid. Ord. Polit. de anno 1548. tit. 23. von verdorbenen Kauffleuten/ in pr. ibi: Dieweil solche betriegliche und schädliche Handlung/ die sich emem Diebstahl wohl vergleichen/ dem gemeinen Nutzen zum Nachtheil gereisshen &c. ubi Imperator in hosce graviter animadverti, eos comprehendi & carcere detineri jubet, donec creditoribus satisfecerint: quod postea repetitum in Ord. Polit. de anno 1577. sub eod. tit. Quæ de re etiam extat novissimum decretum civitatum Hanseaticarum, Lubecæ typis mandatum & Anno 1620. ultimo die Aprilis promulgatum, cujus inscriptio ita habet: Mandatum der Hauptstätt wider die muthwillige Fallierer und Banckerottirer. ibi: Auff solchen fall nach vorhergehender declaration nicht allein die Schandglock über ihn geleutet/ sondern Er auch mit öffentlicher Auffstellung an den Pranger ewiger Verweisung/ auch nach vermerckten Umständen als ein Dieb oder falsarius an leib und leben gestrafft werde. Wilhelm Anton. de rescript. morat. concl. 23. n. 4. cum hi non fortunæ injuria atque asperitate sed suo sibi vitio hoc mali accersiverint & contra leges publicas deliquerint: hujusmodi igitur beneficio minime frui sed omnipotius juris rigore excipi debent. Nam jura dolosis non patrocinantur l. 1. pr. ff. de dol. mal. nec malitiis hominû indulgendum, l. 38. ff. de Rei

*Rei vind.* ne cuiquam calliditas sua proſit *l. 63. §. 7. ff. pro ſoc.* aut ex delicto conditionem ſuam faciat meliorem *l. 134. §. 1. ff. de R. I.* ſed potius indignus eſt legis beneficio, qui in legem committit *l. 37. in fin. ff. de minor.* Cùm itaque propter dolum nullum videantur habere beneficium, nec ceſſionis ipſis competet, quod eſt ſubſidium miſerorum, non autem præſidium dololorum *l. ult. in fin. ff. quæ in fraud. cred.* Et hodie ubique ferè locorum decoctorum horum pœna eſt carcer publicus der *Schuldthurn*: quænam autem præcedere debeant requiſita antequam ad hanc pœnam deveniatur, tradit *Berlich. part. 2. concl. 28. n. 52. & multis ſeqq. (4)* qui ſpe & animo cedendi contraxerunt, ſcientes ſe ſolvendo non eſſe *arg. l. pen. in fin. ff. de jur. dot.* quia ſpe beneficii vel privilegii peccans privilegio non gaudet *arg. d. l. pen. l. 10. C. de feriis.* quemadmodum nec minor, qui ſpem reſtitutionis fovens majorem ſe mentitus fuerit, in integrum reſtitui meretur *l. 1. l. 2. C. ſi min. ſe maj. dix.* cùm deceptis non decipientibus jura ſubveniant *d. l. 2.* aliàs videretur fovere malitiam, ſi illis ceſſionem, aut hujusmodi minori reſtitutionem lex indulgeret. *Peretz. d. l. n. 7. Tholoſan. d. c. 9. n. 10. Mantizius patrocini. debit. dec. 2. q. 8. num. 28.*

THES. XIII.

Denegatur etiam (5) ceſſionis beneficium debitori, qui locuples eſt, & creditoribus ſuis ſatisfacere poteſt: quia pro civili debito ad capturam non devenitur niſi prius facta bonorum excuſſione, & bonis, ex quibus ſatisfieri poſſit, non præſentibus: Si ergò bona reperiantur, quibus creditoribus ſatisfieri poſſit, ad bonorum ceſſionem deveniri non poterit. *Schneidw. ad d. §. fin. Inſt. de act. n. 12. Hahn. d. l. (6)* illis debitoribus, qui bonis ceſſuri ex malitia & dolo partem bonorum

notum indicant, partem celant, quia debitor ad beneficium hoc confugiens confessione debiti tenetur omnia bona sua ad quadrantem usque indicare & indicata relinquere, uti postea dicitur: Signanter diximus *ex malitia & dolo*, quia ob errorem beneficium hoc non amittitur Peretz. *d.l. n. 17.* Hahn. *d.l. (7)* Nec audiuntur debitores, qui ad factum v. gr. librum scribere, monumentum exstruere, Romam abire, sunt obligati: hi enim, quamdiu præstandi facultas eis superest, semper solvendo esse intelliguntur, abindeque cessio, quæ ob impotentiam solvendi conceditur, meritò illis denegatur: Quodsi autem faciendi potestatem non habeant, & ideo in id, quod interest, condemnentur, cessione locus erit. Coler. *de process. exec. part 1. c. 9. num. 90.* Meier. *in Colleg. Argent. ad tit. ff. de cess. bon. n. 5.* Tholosan. *d.l. c. 10. n. 3.* Schneidw. *d.l. Harprecht. ad d. §. fin. Inst. de act. num. 9.* Wilhelm Anton. *de rescript. morat. tit. 5. conclus. 35. num 7.* (8) Idem dicendum de iis qui à creditoribus suis solvendi causa non sunt interpellati. Ita (9) non juvatur is, qui debitor est ex delicto, veluti qui furti, injuriarum vel simili actione convenitur. *auth. qua in provincia. ibi: omni privilegio cessante C. Vbi de crimin. agi oport. l. 37. ff. de minor. quòd indignus sit legis beneficio, & Reipublicæ interfit, ne delicta maneat impunita l. 51. ff. ad L. Aquil. sed locum hîc obtineat regula: Qui non habet in ære, luat in corpore l. fin. ff. de in jus voc.* Peretz. *in C. qui bon. ced. poss. num. 10.* Schneidw. *ad d. §. ult. n. 6.* Harprecht. *ibi n. 6.* Tholosan. *d. c. 10. n. 1.* Bachov. *ad Tr. vol. 2. disp. 24 tb. 4 lit. D.* Hahn, *d.l.*

THES. XIV.

Idem etiam (10) qui ideò bonis cedere vult, ne publicis muneribus fungeretur, non admittitur *l. 5. C. qui bon. ced. poss.*

*poss. Peretz. d. n. 10. Schneidw. ad d. §. ult. n. 7. cuius rei ratio est, quòd inops propter necessitatem non habendi onera patrimonii non sustineat, corpori autem indicta obsequia solvat l. 4. §. 2. ff. de muner. & honor. quodque personalia munera in sollicitudine animi principaliter, & vigilantia potius quàm sumptibus consistant l. 1. §. 3. ff. eod. Nec denique (II) patrociniū sibi in bonorum cessione acquirunt illi, quorum mentio facta est suprà in thes. 5. in pr. qui scil. partim sua culpa & dolo, partim fortunæ vitio paupertatem sibi attrahere, uti, si de facultatibus suis plus quàm in ipsis est, sperantes, (quod sæpissime homines facere testatur Imper. in §. 3. Inst. qui & ex quib. caus. manum non licet.) amplas negotiationes suscipiant, iisq; postea sufficientes non sint, si in provinciis fortè remotioribus mercaturam faciant & cum institoribus seu factoribus suis qualibus qualibus committant: Si supra substantiæ suæ vires æs alienum contrahant negotiando se lucratos sperantes, interim ære alieno gravati nihilominus largè & opiparè cum suis vivunt & ædificant: Hi enim perinde habentur ac si ex suo tantum vitio decoxissent, licèt aliqua passi sint infortunia. Scaccia de commerc. §. 7. gl. 5. sub n. 149. Fraus enim in tali præsumitur, qui scit se habere vel habiturum esse creditorem & bona sua non sufficere ad solvendum: Vbi autem fraus & dolus præsumitur, ibi non concedendum cessionis beneficium quod miserorum est non doloſorū. vid. Althuf. de caolog. lib. 2. cap. 18. n. 14. & multis seqq.*

THES. XV.

Et sic de iis qui bonis cedere possint vel non possint prolixi satis dictum putamus: quibus perspectis, ex natura correlatorum & consideratis suprà in definitione cessionis traditis perspicuè ad oculum patebit quibus personis bona cedantur,

cur,

tur. Hæ autem sunt creditores, quibus bona dimittuntur, qui, licet cessionem admittere recusent, aut inducias quinquennales debitori indulgere malint, imò ipsi licet paupertatis prælo subjaceant, tamen eam debitori adimere nequeunt. Meier. in Colleg. Argent. ad d. t. de cess. bon. n. 7. Schneidw. ad d. §. fin. Inst. de act. n. 4. Pluribus verò concurrentibus creditoribus, quorum nonnulli quinquennales debitori concedunt inducias, quidam autem eorum debitorem bonis cedere malunt, præferendi sunt illi, quibus plus debetur, etiam si unus sit creditor, nihilominus voluntati ejus locus relinquitur: Sic v. gr. si quis uni creditori debeat 1000. reliquis verò tribus creditoribus singulis tantum 100. hîc ille solus, cui 1000 debentur, præponderare debet: Si par reperiatur quantitas dispari creditorum numero, amplior creditorum pars obtinebit: si verò in quantitate debita & in numero creditorum æqualitas inveniatur, tum ii, qui in humaniorem inclinant sententiam, non cessionem sed inducias exigentes præferendi erunt l. ult. C. qui bon. ced. poss. junct. l. 8. ff. de pact. Mantz. in patroc. debit. decad. 4. q. 47. num. 41. Peretz. in Cod. ad d. t. n. 24. Brunnem. ibid. ad d. l. ult. Excellentiss. D. D. Graffius in dict. Colleg. Didact. tit. de cess. bon. can. 3. Nec quoque hic omittendum, cessionem ad instantiam nonnullorum creditorum factam reliquis etiam creditoribus, qui prius quàm cessio fieret, non egerant, præjudicare l. 4. §. 1. ff. de cess. bon. quia hæc cessio est individua ejusque effectus ad omnes porrigitur.

THES. XVI.

Haftenus expositum, quid sit cessio bonorum, quo jure ea introducta, quinam cedere possint vel non, quibusq; cessio illa fiat: Ordo jam postulat ut dispiciamus in quænam bona



bona cessio cadat. Objectum itaque sive materia cessio-  
nis sunt omnia debitoris bona alienationi obnoxia, quorum  
ratione is excutiendus est usque ad baculum & peram ut *post*  
*gloss. in l. ult. ff. que in fraud. cred.* loquitur Jason. *ad §. fin. Inst.*  
*de act. n. 27.* Schneidw. *ad §. ult. n. 16.* Tholol. *in Synt. Jur.*  
*univ. lib. 22. c. 8. n. 3.* Coler. *de process. execut. part. 1. c. 6. n. 122.*  
*Wes. in parat. ff. de cess. bon. n. 4. ibiq.* Hahn. Harprecht. *ad d.*  
*§. fin. Inst. de act. n. 28.* Struv. *Syntagm. jur. civ. Ex. 44. th. 28.*  
ita, ut si vel unicum denarium debitor sibi reservârit, cessio-  
nem non valere scribat Bald. *ad L. ult. C. qui bon. ced. poss.* Tho-  
lol. *d. n. 3.* Relinquuntur tamen cedenti vestes quotidianæ,  
quas defert secum dum cedit, quibus corpus tegat, ne nudus  
incedere cogatur *l. 6. in fin. pr. C. de his qui ad Eccles. confug.*  
quemadmodum & eadem damnato ad mortem relinquun-  
tur *l. 6. ff. de bon. damnat.* neque aliàs vestis in obligationem  
generalem venit. *l. 6. ff. de bon. damnat.* & si debitor car-  
cere concluderetur, vestis ipsi relinqueretur, cum turpis  
atque inhonesta sit nuditas. Vnde Cicero *lib. I. Officior. pr.* in-  
quit: *Corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse*  
*rationem, quæ partes corporis ad natura necessitatem data aspe-*  
*ctum deformem essent habitura ac turpem, eas contexuit atque*  
*abdedit.* Quamvis autem nonnullis vocabulum vestis la-  
tius hic extendere placeat, ut non solùm eam, qua cor-  
pus tegitur, utpote sine quâ vivere non possumus. *l. 234.*  
*ff. de V. S.* denotet, sed & lectum cum suis ornamentis  
& ex rebus mobilibus unam minoris pretii: quod ab Impe-  
ratore Carol. V. miserationis ratione concessum ex Petr.  
Peck. *de jur. sistend. c. 45. num. 16.* refert Peretz. *in C. qui bon.*  
*ced. poss. n. 18. in fin.* quod tamen ut juri communi contrarium  
usuque non receptum meritò alii improbant. Hahn. *d. n. 4.*  
Hinc nec alimenta ad victum quotidianum necessaria ceden-

D

ti ju-

et jure relinquenda; quia illa tantum in bonis post cessionem factam acquisitis ob beneficium competentiae conceduntur. *S. fin. Inst. de act. l. 4. l. 6. ff. de cess. bon.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 24. lit. D.* Notant tamen Dd. ut ea quae de veste hic dicta sunt, ad instrumenta, quibus victum quaerimus, & quae ad artem, quam profitemur, pertinent, recte extendantur. quo de vide sis Tholos. *d. lib. 22. cap. 9. n. 7.* ubi fusius haec omnia explanat.

### THES. XVII.

Cum itaque ex thes. praeced. notum, omnia bona alienari non prohibita cessionem subjacere: apparet hinc (1) bona feudalia cessionem obnoxia non esse, quia hujusmodi bona a Vasallo alienari & consequenter cedi nequeunt *1. F. 13. 2. F. 44. 2. F. 52.* quia eo ipso, dum vasallus feudum alienat, dominum contemnere videtur *2. F. 24. S. fin.* tum etiam, quia hoc ipso domini conditionem reddit deteriore contra *c. cum dere. 2. F. 8.* quibus (2) annumeranda sunt bona Emphyteutica *arg. l. 3. C. de jur. Emphyt.* nec non ususfructus *S. pen. Inst. de usufr.* Et haec quidem de ipso jure feudi, emphyteuseos & ususfructus ita obtinent, quin tamen illorum bonorum commoditates in fructibus consistentes videbiti in satisfactionem cedi possint, donec vel creditoribus satisfiat vel jus, quod debitor habuit, morte ipsius aliove modo intereat, dubitare non licet Tholos. *d. c. 8. n. ult.* Schneidw. *ad d. S. ult. n. 16. in fin.* Zoëf. *ad tit. ff. de cess. bon. n. 16.* Hahn. *d. num. 4.* Struv. *d. 2b. 28.* In feudo tamen haec limitatio superaddenda, ut Vasallo relinquatur, unde servitia domino praestare possit, quia res inter alios acta aliis praedjudicare nequit *t. t. C. in tr. al. act. vel judic. al. non noc.* nec alteri per alterum iniqua conditio infertur

fertur

ferri debet *l. 74. ff. de R. 1.* ne sumptibus ita ad servitia præstanda deficientibus feudum à domino vasallo non servienti adimatur *1. F. 21. 2. F. 24. §. 2. vers. sed non est.* & per consequens ipsorum quoque creditorum jus amittatur, quia resolutio jure dantis, resolvitur & jus accipientis *l. 31. ff. de pign. & hypoth. l. ult. C. si pign. pignor. dat. sit.* vid Bachov. *d. disput. 24. th. 4. lit. D.* Ita (3) Non veniunt in cessionem bona debitori cedenti in testamento relicta & alienari prohibita aut fideicommissis obnoxia, quia sunt quasi aliena, & post mortem debitoris, cui hujusmodi bona sunt relicta, ad alios trans-eunt. Tholos. *d. n. ult. pr.* Hahn. *d. n. 4.* Usus tamen earum rerum tamdiu in creditores conferri potest, quamdiu penes debitorem cedentem remanere potuisset: post verò restituendæ iis, ad quos aliàs pervenissent *per text. in l. 69. §. 1. ff. de leg. 2.* Idem etiam in genere tenendum in aliis bonis, quorum alienatio & oppignoratio, quæ est species alienationis *l. ult. C. de reb. alien. non al.* est prohibita. Hahn. *d. l.*

THES. XVIII.

Nec etiam (4) in cessionem veniunt bona dotalia, si maritus bonis cesserit; licet quidem maritus constante matrimonio sit dominus rei dotalis *l. 7. §. 3. l. 75. ff. de jur. dot. l. 13. §. 2. ff. de fund. dot. l. 23. C. de jur. dot.* Illud tamen dominium non est absolutum & perpetuum sed revocabile ipsoq; jure & statim soluto matrimonio ad mulierem rediturum. Hahn. *ad Wes. parat. ff. de jur. dot. n. 9.* ideoque illa dos, quam mulieres salvam habere Reip. interest *l. 2. ff. de jur. dot.* meritò à cessione eximitur. Præterea (5) si pater bonis cesserit, filii emancipati facultates cessioni huic subjectæ non sunt *l. 3. C. qui bon. ced. poss. t. t. C. ne fil. pro patr.* ex ratione illa generali, quòd factum cuiuslibet proprium non alterius nocere debeat *l. 5. §. 5.*

*in fin. ff. de nov. oper. nunc. l. 33. §. 1. C. de inoffic. test. l. 74. ff. de R. I.* Et hoc adeò verum, ut, licet pater ob debitum publicum bonis cesserit, patrimonium, quod filius emancipatus sibi quæsit, inquietari non debeat. juxta *d. l. 3. C. qui bon. ced. poss. uti nec id, quod pater filio emancipato donavit, ipsi auferri possit, modò tamen ejusmodi donatio non in fraudem creditorum facta sit, puta post jam contracta debita, vel paulò ante cessionem emancipatio facta fuerit l. 6. §. II. ff. quæ in fraud. cred.* Num verò idem, quod de emancipati bonis dictum, etiam de bonis illorum, qui adhuc in sacris paternis constituti sunt, asserendum, non frivole hic disquiritur? quam quæstionem distinctione expediendam existimamus, distinguendo nimir. inter peculium profectitium, adventitium & castrense: Profectitium, quippe cujus tam usufructus quàm proprietas ad patrem pertinet à creditoribus occupari potest. *arg. §. 5. Inst. per quas person. cuiq. acquir.* Adventitium verò, sive sit ordinarium, id est, cujus usufructus ad patrem pertinet, proprietate penes filium remanente, sive extraordinarium, quod pleno jure tam quoad usumfructum quàm proprietatem est apud filium, in cessionem non venit *arg. l. 1. in fin. C. de bon. matern. l. fin. §. 5. vers. non autem C. de bon. quæ lib.* Multò magis idem dicendum de bonis castrensibus vel quasi talibus, quia plenum dominium in his filiusfam. habet *d. §. 1. Inst. per quas person. cuiq. acquir.* Illud denuò hic notandum, quòd filiofam. bonis cedente etiam bona profectitia in eam veniant cessionem *l. 7. C. qui bon. ced. poss. in verbis: quod patre volente possident: quæ non nisi de peculio profectitio accipi posse videntur: tum etiam quia pater ex contractu filiofam. tenetur peculiotenus sive quantum est in peculio. §. 10. Inst. de act. §. 4. Inst. quod cum eo qui in alien. pot.* Bachov, *ad Trentl. vol. 2. disput. 24. th. 2. lit. D.*  
Hahn.

Hahn. in observ. ad Wesenb. parat. ff. de cess. bon. num. 3. vers.  
quam filiosam.

THES. XIX.

Vidimus objectum sive materiam cessionis: Jam ad formam ejus progredimur, quomodo nempe cessio fieri debeat: Ut autem beneficium hoc efficax competat, requiritur ante omnia & [1] ut debiti solutio à creditoribus vel saltē uno eorum urgeatur, quemadmodū ex definitione suprā traditā patescit. jung. c. Odoardus. verb. convenissent X. de solut. alioquin si creditores erga debitorem se mites & pacificos præstant, cessionis bonorum locus non datur, Hahn. ad d. t. n. 5. Struv. ibid. th. 27. quā creditorum instantia præcedente insequitur [2] sola voluntatis professio l. 6. C. qui bon. ced. poss. Harprecht. ad d. §. fin. Inst. de act. n. 3. quam etiam extra judicium per internuncium aut epistolam declarari sufficit l. fin. ff. de cess. bon. nullis omnino adhibitis solennitatibus, quæ olim apud cives Romanos, sicut in quacunque alia cessione, qua dominium acquirebatur, requirebantur arg. d. l. 6. in verb. scrupulositate priorum legum explosa C. qui bon. ced. poss. quòd licet jure communi ita servetur, statuta tamen aliorum locorum ab eo variè deflectunt. Sic in Galliā juxta sanctionem Regis Ludovici XII. constitutū esse, ut nemo, nisi præsens in judicio aperto capite nudaq; cervice bonis cedat, testantur Duarenus in Comment. ad tit. ff. de cess. bon. cap. 2. Tholos. Synt. jur. univ. lib. 21. c. 11. num. 4. & 9. Cū itaque sola professione & voluntatis declaratione etiam extrajudiciali cessio fiat, litis contestatione opus hic non esse statuimus cum Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. E. in pr. quia cessio est actus debitoris, qui fit μονοπλευρως & quā talis à litis contestatione abhorret: Aliud sanè dicendum, si non de ipsa cessione sed de cessionis

causa, an videl in eâ litis contestatio requiratur, disquiritur; nam in hâc contradictio & causæ cognitio intercedit, quæ contradictio litis contestatio appellari poterit & interponitur à creditoribus, qui vel propter qualitatem personæ vel debiti aut alias causas cessionem non esse admittendam contendunt. Bach. *d.l.* Duaren. *d.l.c.2. in fin.* Ex his dictis quoque colligere licet, quòd, cùm ipsa Lex Julia beneficium cessionis debitori indulgeat atque deferat, necesse non sit, ut illud impetretur à iudice vel à Principe: Nec quicquam nobis obstante *l. ult. pr. in verb. à nostra Majestate petitur. C. qui bon. ced. poss.* siquidem quod ibi de precibus Imperatori oblatis dicitur, hoc non tam beneficium cessionis quàm dilationis quinquennalis respicit. Just. Meier. *in Colleg. Argent. ad tit. ff. de cess. bon. n. 11.*

THES. XX.

Præterea [3] ad formam cessionis requiritur: Ut debitum sit liquidum *l. pen. ff. de cess. bon.* ubi tres proponuntur modi, quibus debitum reddatur liquidum: agnitio debiti, confessio in jure & condemnatio: Rationem autem cur debitores ad cessionem bonorum non admittantur nisi debitum agnoverint, vel illud in jure confessi vel denique de eo in iudicio condemnati fuerint, desumunt Dd. à præiudicio creditoris: Si enim debito nondum liquidato debitor bonis cederet & postea ad pinguiorem fortunam fortè rediret, perfacile fieri posset, ut creditor de residuo acturus debito non amplius illud probare posset, si testes interim & probationes, quibus tempore cessionis factæ debitorem convincere potuisset, totius debiti, quod petebat, interierint, & ita ob defectum probationum integri debiti solutionem obtinere non posset, Bach. *d.l. vers. dummodo debitum agnoscant.* Tholof. *d.c. 11.*

*d. c. ii. n. ult.* [4] Ut creditores ad actum hunc cessionis citentur, quia ea in præjudicium creditorum vergit, idcirco merito citari debent, ut videant eam rectè & legitimè expediri: & quidem maximè illi sunt citandi qui solutionem debiti petierunt & carcerem minitati sunt, Schneidw. *ad d. g. ult. Inst. de act. n. 15. & seqq.* Hahn. *ad d. t. n. 5.* Struv. *ibid. hb. 27.* [5] Ut debitor bonis cessurus universa bona sua ad quadrantem usque mediante inventario & traditione libri rationum, aut inventario deficiente mediante jurata specificatione indicet, Struv. *d. l.* Tholos, *d. l. n. ult.* aliàs enim facilè fraus à debitore committi atque ab eodem bona quædam occultari possent, ne optimis ita facultatibus & bonis suis occultatis inopiâ egestateque fictâ creditoribus integrum debitum solvere cogeretur.

### THES. XXI.

Insuper forma cessionis exigit [6] ut debitores inopiam, & hanc non voluntariam sed fortuitam doceant per Rec. Imper. de anno 1548. & 1577. tit. Von verdorbenen Kauffleuten: ibi: Wir und unsere Nachkommen/ Römische Kaiser und Könige seyn dann von der Obrigkeit darunter solche verdorbene und auffgestandene Kauffleute gefessen/ zuvor eigentlich besichtet und vergewissert und daß dieselbe Kauffleute glaublich urkunden und schein fürbringen daß sie aus unversehenem &c. Et ita quoque in Camera pronunciatum Dd. observarunt in Anno 1551. die 27. April. In der Executionsfache P. B. wider R. D. ist erkand/ daß gemelter D. noch zur zeit in der Poen der Acht nicht zu erklären/ sondern von amptswegen der Bescheid wolle und möge er auff fürbrachte Urfund der Armuth/ wie sich vermöge der Rechten und des Orts landläuffig in 6. wochen und 3. tagen den nechsten nach ersuchung bonis ceditur/

ren/ darzu soll er hiermit gelassen seyn und er thue das oder nicht  
alsdann der angebotenen caution halber oder sonst auff fernere  
handlung endlich zugeschehen was recht ist. Et hæc ipsa ratio-  
ne non carent, siquidem qui allegat egestatem, eam proba-  
re tenetur *l. fin. ff. de agnosc. & alend. lib. gloss. in l. 5. §. 1. ff. qui  
satisd. cog.* per regulam generalem, juxta quam quilibet fun-  
damentum intentionis suæ probare debet, sive sit actor *l. 2.  
l. 21. ff. de probat. l. 23. C. eod.* sive reus *l. 19. ff. eod.* tum etiam  
quando debitor se facultatibus lapsum esse intendit, tacitè  
fateretur se quondam divitem vel solvendo fuisse; quapropter  
necesse est, ut doceat, quando & qua ratione ad egestatem  
pervenerit; quia qui semel fuit dives, adhuc talis esse cen-  
setur. Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præf. 25. n. 2.* cùm mutatio  
tanquam accidens quoddam non præsumatur *arg. d. l. 5. §. 1.  
ff. qui satisd. cog.* Accedit, præsumptionem juris esse quod  
quis indies efficiatur locuples & dives *l. 10. C. arbitr. tut.*  
Multum tamen interest, quo tempore ejusmodi calamitas  
solvendiq̄ue difficultas debitori cedere volenti obvenerit,  
nisi enim post debitum contractum se in eam incidisse pro-  
baverit, non audietur. Wilhelm. Anton. *de rescript. morat.  
concl. 12. num. 49.* Hillig. *in Donell. enucl. lib. 22. cap. 9. lit. H.*  
quò evitet suspicionem fraudulentì contractus quem iniisse  
videretur contrahens, sciens se solvendo non esse. Denique  
[7] requiritur, ut debitor caveat de residuo solvendo si pro-  
spera fortunâ post cessionem sibi quid acquisiverit. *d. c. Odo-  
ardus 3. X. de solut.* Menoch. *de arbitr. jud. quest. lib. 2. cent. 2.  
cas. 183. n. 20.* Schneidw. *ad §. ult. Inst. de act. num. 15.* Har-  
precht. *ibid. n. 3.* Quid verò cautionis nomine hic veniat,  
nondum omnino inter omnes convenit: Nos posthabita  
aliorum opinione Hahnio *d. l. n. 5.* ad stipulamur, nudam  
promissionem per eam indigitati existimantes *arg. l. 3. C. de  
V. S.*



V.S. jung. Bachov. *in not. ad Wes. ad tit ff. de cess. bon. n. 5. lit. h.*  
 Idem *ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. F. & G.* non tamen et-  
 iam fidejussores, qui forsitan pro cedente cavere parati sunt,  
 planè hinc excludi volumus, ut nec cautionem juratoriam,  
 si debitor sit homo frugi & integræ fidei. Notandum tamen  
 quòd postremum hoc requisitum planè supervacuum & si-  
 ne effectu esse videatur: nam si debitor cedens ad pinguior-  
 em fortunam postea pervenerit, etiam si nulla cautio inter-  
 venerit, ipso tamen jure compelli ad cessionem faciendam  
 poterit. Hahn. *d. l. n. 5.*

THES. XXII.

A forma cessionis ordine ad finem progredimur & ef-  
 fectum. Istum Wesenb. *in parat. ff. d. t. n. fin.* duplicem facit:  
 Ut nempe creditoribus, quoad ejus fieri potest, satisfiat: de-  
 inde, ut debitor ab importunitate & molestiis, quas ei attenti  
 creditores creare solent, liberetur. Nos tamen rectius cum  
 Hahn. *ibid.* unum ejus finem constituimus; Ne scil. obæratî  
 debitores, qui creditoribus suis solvendo non sint, in carce-  
 rem conjiciantur, sed ab ejus molestia hoc modo liberentur  
*l. i. C. qui bon. ced. poss.* non verò omnimodo à debito ipso im-  
 munes reddantur, unde actio interim saltem suspenditur, do-  
 nec ad pinguiorem fortunam venerint & eatenus postea  
 conveniantur quatenus facere possint, ut ex jam dicendis  
 patebit.

THES. XXIII.

Finem cessionis excipiunt ejus Effectus: quorum alii  
 sunt à parte debitoris, alii à parte creditorum, quibus cessio  
 fit. A parte debitoris effectus cessionis præter illum, cujus in  
 thes. præced. mentionem fecimus, ne scil. squalorem & mo-  
 E lestiam

lestiam carceris experiri aut saltem timere necesse habeat, in eo consistit (1) Ne debitor durante paupertate ob idem debitum conveniri possit, sed obligationis effectus interim suspendatur, quare eidem parata est exceptio factæ cessionis, qua denuò interpellantes creditores repellere potest, usque dum ad pinguiorem fortunam redierit §. *ult. in fin. Inst. de replicat.* Hinc consuetarium est, ipsam obligationis substantiam per huiusmodi cessionem non perire *l. 1. C. qui bon. ced. poss.* Et ut aliàs verum, ita hic potissimum tritum istud sermone diverbium locum sibi vindicat: **QVOD DIFFERTVR NON AVFERTVR.** *arg. l. 39. ff. de iudic. l. 6. C. de fideic. libert.* quæ adeo sunt vera, ut cessio ne quidem obligationem civilem, ut nonnulli sentiunt, tollat: quod si enim cedens ab obligatione civili liberaretur, sequeretur ipsum postea, si pinguior fortuna ei arrideret, nullatenus conveniri posse, cum actio semel extincta reviviscere non possit *l. 98. §. fin. ff. de solut. l. 27. §. 2. ff. de pact.* & si concederetur, debitorem cedentem à nexu civilis obligationis esse solutum, quomodo ex solâ naturali obligatione postea validè convenietur? manet itaque quòd cessio obligationem non tollat, sed solùm moderetur & suspendat eius effectum, actionem videl. & executionem sententiæ *arg. l. 17. §. 1. ff. sol. matrim.* potissimum, cum beneficium à lege concessum intelligatur absque alterius jactura datum, alioquin debitor perveniens ad prosperam fortunam fieret ditior contra legem naturæ cum alterius jactura *l. 14. ff. de condict. indeb. l. 6. ff. de R. I. cap. locupletari eod. in 6. Tholos. Synt. jur. univ. lib. 22. cap. 13. n. 1. Gail. lib. 2. Obs. 45. n. 6. Menoch. de arbitr. jud. quest. cent. 2. cas. 183. num. 20. Bachov. ad Tr. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. F. & G. Calp. Mantz. patroc. debit. decad. 2. q. 8. n. 83. & seq. Wel. in parat. ff. de cess. bon.*

*bon. num. fin. ibiq. Hahn, vers. duplicem esse. Zoël, ad eund. tit. ff. num. 9. in fin. Struv. ibid. th. 29.*

THES. XXIV.

Effectus cessionis nostræ quoad debitorem (2) in eo consistit, quòd, tametsi ob bona post cessionem acquisita denuò is conveniri possit, gaudeat beneficio competentia, hoc est, in id saltem quod facere potest, condemnari debeat, retento eo, unde pro personæ qualitate decenter se alat *l. 4. pr. ff. de cess. bon.* quoniam inhumanum foret spoliatum fortunis suis in solidum condemnari ut ait Imper. Iustin. *in §. fin. Inst. de act.* Notanter tamen dicitur *in d. §. fin. Si aliquid postea acquisiverit, quòd idoneum emolumentum habeat:* Nam si modicum quid acquisiverit, adhuc securus est debitor: Illud ipsum verò an tale sit, iudicis arbitrio æstimandum relinquitur, quatenus scilicet is acquisitis facultatibus moveri possit, ut adversus eum, qui bonis cessit, agi permittat. *l. 7. ff. de cess. bon.* eius est enim dispicere ut neque delicatus debitor neque onerosus creditor audiatur *l. 25. in fin. ff. de pign. act.* Hoc tamen competentia beneficio debitor denuò conventus non gaudet, si ei renunciavit, quod ipsum facere posse docent Bald. *in l. 1. C. qui bon. ced. poss.* Tholos. *d. lib. 22. c. 8. n. 8.* nec non, si creditor probaverit debitore post cessionem admiffam in sui fructu eadem bona ita alienasse, ut vel plane non vel difficulter recuperari possint. Mynsing. *ad. d. §. ult. Inst. de act. n. 4.* quia & ab initio, si de eo constitisset, beneficium cessionis denegari debuisset. Non inconcinnè hic disquiritur: Utrum hi duo effectus ad fidejussores debitorum cedentium quoque extendi queant? Quod rectè negandum putamus, quia beneficium istud legis est personale cui causam dedit debitorum inopia, quæ non est eadem in fidejussoribus, tum quia

utraq̃ue exceptio & cessionis factæ & competentiæ est personalis §. *fin. Inst. de replic. l. 7. pr. ff. de except.* adeoque & personæ debitoris cohæret nec fidejussoribus contra creditores communicatur: Et licet principalis ad pinguiorem fortunam aliquando fortassis pervenire possit, attamen, cum id ipsum sit planè incertum ideoque nec differenda erit executio fidejussoris, quem eum in finem creditor accepit, ut, cum facultatibus lapsus fuerit debitor, ab hoc suum consequi possit: Nec contrarium suadet, quod plerumque assertioni huic objici solet: Sublato principali tolli simul accessorium *l. 129. §. 1. l. 178 ff. de R. l.* quoniam hîc principale non est sublatum, siquidem per deducta *in thes. preced.* principalis debitor tam civili quàm naturali jure obligatus manet: & quòd actio atque executio suspendatur ac differatur, fit tantùm ob commiserationem: ut proinde juris ratio & ordo ad fidejussorem accedere permittat, quem constat etiam non tam ex contractu principalis quàm ex sua obligatione teneri & conveniri posse *l. 12. C. de fidejuss. Colet. de process. execut. part. 1. c. 6. num. 124. Schneidw. ad d. §. fin. Inst. de act. n. 3. Peretz. in C. qui bon. cea. poss. n. 16. Zoës. ad tit. ff. de cess. bon. n. 10. Hahn. ad Wes. ibid. n. 6. vers. duplicem esse. in fin.*

THES. XXV.

Denique (3) ad cessionis effectum ratione debitoris & hoc pertinet, quod illa debitoribus cedentibus infamiam non irroget *l. 11. C. ex quib. eaus. infam. irrog. l. fin. C. qui bon. ced. poss.* quia beneficium perniciosius esse non debet ipsâ causâ, cui accedit & à qua liberat, nempe ipsâ carceris detentione ob debitam, quæ non infamat: nec enim ideò infamis quis est, quòd in carcerem sit conjectus, vel cui vincula jussu legitimi judicis injecta sunt *l. 1. C. Ex quib. caus. infam.* nisi ob pœnam

nam

nam explorati criminis id fiat *l. 14. C. eod.* neque afflicto addenda afflictio *l. 14. ff. de offic. presid. l. 28. C. de episc. aud. cap. ex parte 5. X. de cleric. agrot.* Satis autem & abundè quis affligi videtur ex illa confessione paupertatis publica, ut alia infamiæ nota gravandus non sit qui cedit: Interest enim nostra, secreta domus & suspectum æs alienum non pandi, quod melius esset taceri *l. 2. C. de alim. pupill. prest.* Et quid tam durum tamq; inhumanum est quàm publicatione pompave rerum familiarium & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ patere divitias? *juxta l. 2. C. quand. & quib. quart. pars.* accedit, quòd licèt facta cessione bona debitoris cedentis publicè distracta sint, hujusmodi bonorum venditio non fiat debitoris sed creditorum potius nomine quibus cessa sunt *Zoël. ad d. t. ff. n. 19.* Insuper, tametsi paupertas aliàs in pluribus juris articulis existimationi & integritati personarum detrahat *arg. l. 6. C. de suspect. tut. l. 1. ff. de custod. reor.* cedens tamen, qui omnibus bonis exutus ad infimum paupertatis gradum redigitur, salva existimatione recedere debet *per d. l. fin. C. qui bon. ced. poss.* Et hæc tam de infamiæ facti quàm juris exaudienda esse evincunt *alleg. textus in d. l. 11. C. ex quib. caus. infam. & d. l. fin.* Alii verò textus, qui assertioni huic nostræ obstare videntur in *Nov. 4. c. ult. Nov. 135.* intelligendi sunt de levi macula, quam contrahunt non absque sua culpa cedentes *Hahn. ad d. tit. n. 6. vers. infamia saltem facti.* Et hæc opinio humanitati magis consentanea videtur, quia cedere est de genere permissorum & indifferens atque juris beneficium, quod illis demū qui casu non culpa in paupertatis retia inciderunt, competit. *Hahn. ad Wes. in parat. ff. tit. de his qui not. infam. n. 5. in fin.* Verum multorū locorum moribus hodie receptum, ut cessio cum quadam solennitate actus ignominiosi fiat, ne scil. facillè cum pernicie creditorum ad eam perveniretur. *Conf.*

Wesl. in parat. ff. tit. de cess. bon. in fin. ibiq; Hahn. Non tamen ejusmodi ignominia quæ loco pœnæ corporalis esse videtur, illud operatur, ut cedens postea sit tutus, nec cogatur aliquid solvere ubi ad pinguiorem fortunam pervenerit, quia per illam cessionem juxta sæpius monita nec civilis nec naturalis tollitur obligatio, & actus iste ignominiosus non tam adhibetur in compensationem debiti quàm ne quis facile ad cessionis auxilium convolet in detrimentum & perniciem creditorum suorum, unde cum ad illum effectum tendat, diversum operari non debet: Covarruv. 2. *variar. resol. cap. I. n. 6.* Zoëf. *ad d. l. n. 21.*

THES. XXVI.

Effectus cessionis nostræ à parte creditorum est, quòd cessione facta obtineant jus vendendi & distrahendi bona cessa, abindeque pretia ex rebus distractis redacta inter se dividendi: non enim cedens post factam cessionem ipso jure bonorum suorum, antequam illa inter creditores distribuantur, desinit esse dominus. Wesenb. *ad d. t. n. ult.* unde nec propria autoritate creditores ea occupare possunt, sed tali incedere debent viâ, ut vel proprio ex consilio curatorem eligant *l. fin. ff. de curat. bon. dand.* vel talem à judice constitui petant *l. 2. pr. ff. eod.* qui legitimè inventarium conficiat, & postea bona nomine creditorum sub hasta distrahat eaq; plus offerenti addicat, & ex eo, quod ex rebus venditis recepit inter creditores pro rata crediti distribuat: Si verò nullus inveniatur emptor, ipsi creditores impetrare possunt illarum rerum dominium sibi addici *arg. l. 15. §. 3. ff. de re judic. l. 3. C. de exec. rei judic. l. ult. §. 2. & seq. C. de jur. dom. impetr.* actiones quoque utiles contra debitorem cedentem hujusmodi curator exercere potest *l. 2. §. 1. ff. de curat. bon. dand.*  
Menoch.

Menoeh, *de arbitr. jud. quest. cas. 183. n. 19.* Tholol. *d. lib. 22. c. 11. n. 3.* Coler. *de proc. exec. part. 1. c. 6. n. 123.* Probè tamen curator hic attendere debet jus cujusque creditoris, quo ordine satisfieri debeat, quorumve creditorum causa sit potior: Insurgunt enim deponentes & petunt depositum, instant vendentes & petunt merces aut pretium, offerunt se hypothecarii & privilegiarii & se aliis præferendos esse contendunt: quæ omnia ex materia de concursu & privilegiis creditorum plenius innotescunt, quæ cum jam tum in disputatione publicâ in Illustri Academia Ernestina habitâ fufius à me sit explanata, actum hic agere non est mei propositi. Illud hic adhuc notari meretur, quod creditores, si forte ipsi nihilominus propriâ autoritate bona cessa inter se dividerint, eaq; longo tempore possederint, petitorem tamen eorum præscriptione submovere nequeant, quia contra juris rationem eas res tenent abindeque justa causa destituuntur *l. 4. C. qui bon. ced. poss.* quæ tamen in usucapione necessariò requiritur *pr. Inst. de usucap.* creditores namque scire debebant bona à debitore cessa judicis autoritate subhastari & vendi, indeq; ex pretio ex rebus distractis redacto sibi satisfieri debuisse, cujus rei ratio etiam in debitorum favore consistit: aliàs enim creditores viliori pretio res debitoris facilè æstimarent & detinerent. Brunncman. *in l. 4. C. qui bon. ced. poss.*

THES. XXVII.

Absolutis breviter iis, quæ ad cessionis naturam & indolem spectare videntur, ad finem properantes ejusdem affinia & contraria promissi nostri memores rudiori penicillo adumbrate tentabimus. Sunt autem affinia cessionis alia de jure communi, alia de jure statutorio: Jure communi sunt (I) Induciæ moratoriæ vulgò *Quinquennell* oder *Anstandsbrieffe*

brieffe/ Matth. Wehn. *in pract. observ. lit. A. verb. Anstand.*  
 Unde Gallieas vocant lettres de respits: quasi dicerent ter-  
 minū respirationis: Sunt autem Induciæ moratorię nihil  
 aliud, quàm benigna Principis concessio quā de-  
 bitori fortunæ asperitate ad inopiam redacto  
 dilatio modici legalis temporis indulgetur, ut à  
 multijugis creditorum impetitionibus libera-  
 tus interim conficere possit, quo dilatione lapsa  
 creditoribus solvere valeat. Exq; fundamentum ac  
 sedem habent non solūm in jure civili, videl. *in l. 2. & l. 4. C. de  
 precib. Imper. offer. l. ult. C. qui bon. ced. poss.* sed & in Imperii  
 constitutionibus nempe der Reformation guter Policeny zu  
 Augspurg auffgerichtet Anno 1548. tit. Von verdorbenen  
 Kauffleuten. 22. §. 2. Und nachdem sie zu zeiten bey den Rōmiz-  
 schen Kaisern und Königen Moratoria oder Quinquennell aus-  
 bringen und erlangen/ und nach mittler zeit oder nach ausgang  
 derselben ihre Creditores und Glaubiger nicht bezahlen oder  
 sich mit ihne setzen und vertragen. So meinē Wir hiermit ernst-  
 lich &c. Item in der Policenyordnung zu Franckfurt Anno 1577.  
 auffgerichtet. Tit. Von verdorbenen Kauffleuten 23. §. 4.  
 Wann auch solche verdorbene Kauffleute zu zeiten bey den Rō-  
 mischen Kaisern und Königen Moratoria oder Quinquennell  
 ausbringen und erlangen/ und doch mitler zeit oder nach aus-  
 gang derselben ihre Creditores und Glaubiger nicht bezahlen  
 oder sich mit ihnen setzen und vertragen. So meinen Wir hier-  
 mit ernstlich und wollen &c. In cujus beneficii explicatione  
 hic non immorari animus est, sed B. L. ad eos, qui ex professo  
 hanc ipsam tractant materiam, remittimus, imprimis verò  
 adire



adire potest, si placet, absolutissimum tractatum de rescriptis moratoriis Wilhelmi Antonii Freudenberg. Illud saltem hic quærere lubet: An debitor obtentis induciis moratoriis postea à cessionis beneficio excludatur eoq; uti nequeat? Cujus affirmativam cum Gloss in l. fin. C. qui bon. ced. poss. tuentur plurimi, existimantes debitorem obæratum eligendo inducias moratorias tacitè beneficio cessionis renunciare. Nobis tamen negantium sententia tanquam firmiori juris & æquitatis fundamento nitentium magis arridet: Nam omnis tacita renunciatio & conventio necessariò in præsumpta contrahentium voluntate fundari aut ex facto aliquo induci debet, cujusmodi nihil hic occurrit: quo etiam facit l. 2. C. de exact. tribut. quòd non possit quis se expresse ad carcerem obligare propter inhumanitatem, quam ejusmodi pactum secum trahit, consequenter nec tacitè illud ipsum poterit, cum major vis sit in expresso quàm in tacito arg. l. 9. ff. de suis & legit. Abb. in c. si diligenti. num. 25. de for. comp. Menoch. de presumpt. lib. 3. pres. 127. n. 18. Nec quicquam patrocini præstat dissentientibus præalleg. l. ult. C. qui bon. ced. poss. Siquidem ex ea plane colligi nequit per impetrationem induciarum debitorem excludi à cessionis beneficio, sed ibi Imper. Justin. in pari numero creditorum & debiti quantitate æquali tanquam humaniorem sententiam præfert, quæ concedit dilationem sive inducias moratorias, quæ humanitas nulla videretur, si postea ad facultatem cedendi redire non liceret: Et id quod humanitatis causa conceditur, intelligendum est fieri salvo jure communi, ne aliàs in odium detorqueatur. Hinc itaque cum cessionis beneficium debitori concessum sit per legem, non potest ei adimi per creditorum electionem. Conf. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. E.

F vers.

*vers. An renunciari huic beneficio possit. Zoël. ad tit. ff. de  
cess. bon. n. 25. Peretz. in Cod. qui bon. ced. poss. n. 25.*

THES. XXVIII.

Inter beneficii nostri affinia etiam (2) ex jure communi refertur datio in solutum: quia & hæc æquè ac cessio debitorem à carceris molestia liberat. Differt tamen etiam à cessione in eo potissimum, quòd per illam rerum in solutum datarum perinde ac per venditionem dominium in creditorem transferatur, si debitor earum fuerit dominus, sin minus, usucapiendi conditio *l. ult. ff. quib. ex caus. in poss. eatur. l. 4. §. 31. ff. de dol. mal. & met. except.* quæ autem per cessionem ad creditores perveniunt, jure domini ad eos non pertinent antequam istorum distributio inter creditores facta fuerit, qua de re antea *in th. 26.* pluribus egimus. Alia adhuc est cessio nominis in solutum, quæ transfert jus, quod cedens habuit, personale vel reale *l. 6. C. de Obl. & Act. Hahn. ad Wes. parat. ff. tit. de cess. bon. n. 6. vers. ut ex cessione juris solenni.* Denique (3) ex jure communi cessione nostræ conveniens est pactum remissorium, quod debitores cum creditoribus suis incunt de parte debiti sibi remittenda, in quo itidem majores numero prævalebunt aliis. Conf. ea quæ de hisce supra diximus *th. 15.* Et hoc tantum ob favorem liberationis & utilitatem conservandæ partis, quæ aliàs salva haberi non posset, ut quia forte debitor est in fuga aut heres debitoris hereditatem adire recusat nisi sub tali remissione, *l. 8. l. 9. ff. de pact.* Zoël. *ad d. 1. ff. de cess. bon. num. ult.*

THES. XXIX.

Et hæc de affinibus cessionis ex jure communi, sequuntur nunc ea, quæ varia statuta diversique mores introduxerunt

runt

runt, quorum nonnulla saltem hîc referre allubescit. Ex lege XII. Tabb. quomodo in obæratos debitores animadversum, suprâ *in th. 4.* vidimus Apud Indos, qui creditum moratur, si à creditore reus agitur, mox præfixa die si non solvit, manu trunca & oculo effosso morti addicitur, Alexand. ab Alexand. *lib. 6. genial. dier. cap. 10.* Apud Bæotos qui æs alienum haud dissolvebat, ducebatur in forum ibiq; sedere cogebatur & circumstante plebe, sedentis capiti ludibrii causa corbis imponebatur Alex. ab Alex. *d. c. 10. Tholos. Synt. jur. univ. lib. 22. c. II. n. 12.* Apud Moscovitas qui æs alienum conflagrant, non habentes unde creditoribus solvant, ex legis præscripto in locum certum & publicum ad id ordinatum ducuntur ibique à servis Prætorianis flagris baculisq; per suras & crura pedum graviter absque ulla misericordia tamdiu cæduntur donec (undecunque etiam accipiendum sit) creditoribus sua reddere cogantur: quod si solvendo non sufficiant, tunc verberibus multoties agitati creditoribus suis secundum valorem debiti servire coguntur. Alex. Guaguinus *in descript. Moscovia cap. 4.* Apud Tyrthenos si quis æs alienum, quod contraxit, non persolvat, eum pueri sequuntur vacuum gestantes marsupium ignominia causa Tholos. *d. l. n. 8.* Durissimæ quoque consuetudines apud Chineses vigent, ubi ære alieno oppressi in carcerem conjiciuntur, tempore certo solutioni illius præfinito, intra quod nisi credito paruerint, verberibus cæduntur, deinde alius statuitur dies & acriores tunc pœnas perpetiuntur, donec ad necem usq; cæsi fuerint. Joh. Consalv. Mendoza *de Regn. Chin. lib. 3.* Hillig. *in Donell. enucl. lib. 27. cap. 3. lit. Hh.* Juxta consuetudinem curiarum civitatis Lugduni cogitur debitor remotis femoralibus certum lapidem seu columnam natibus percutere: qualis lapis,

F 2

qui

qui etiam Paduz esse traditur, vituperii appellatur, in quo cessio fit, hunc ipsum cedens nudatis natibus ter percutere, ac toties alta voce exclamare tenetur: Cedo bonis. Romæ leo marmoreus ante Capitolii januam positus est apud quem cessionis actus eodem peragitur modo. Tholos. *d. l. n. 9.* Hillig. *d. lib. 27. cap. 9. lit. Hb.* Alibi in loco publico vestem ab aliis distinctam aut pileum viridem gestare aut campanam pulsare aliumve actum ignominiosum facere tenentur bonis cedentes. Hahn. *ad d. t. ff. de cess. bon. n. ult. vers. infamia saltem facti.* Jure Saxonico cautum est, ut debitor solvendo non existens ad manus creditoris tradatur daß der Schuldner dem Glaubiger an die hand oder halffter gegeben werde / qui ipsum in compedibus vel vinculis inclusum retineat eiusq; servitiis tamdiu utatur, donec operis suis vel alia ratione integrum debitum dissolvere valeat. Carpzov. *jurispr. forens. part. 2. const. 22. def. 1. num. 9.* Coler. *de process. execut. part. 1. cap. 3. n. 160. & cap. 6. n. 125.* Gail. *de pac. publ. lib. 2. cap. 2. n. 23.* Schneidw. *ad §. ult. Inst. de act. n. ult.* Idem in Hispania observatur, ubi sancitum debitores creditoribus iudicis arbitrio servire debere donec illis satisfactum fuerit. Menoch. *de arbitr. jud. quest. lib. 2. cent. 2. cas. 183. num. 3.* In terris Saxonis hæc addictio postea quidem abrogata est, sed in eius locum carcer publicus der Schuldthurn/successit per Novelam Constitutionem Electoris Augusti 22. *part. 2.* cuius molestiam obæratu debitor tamdiu sustinere cogitur, donec vel debitum exsolverit vel alio quovis modo eo nomine satisfecerit, & nullam habet spem creditoribus invitis se bonorum cessione liberandi secundum d. Const. 22. ibi. *Es soll darvon keine abtretung seiner Güter und cession bonorum, so er ohne bewilligung seiner Glaubiger thäte und fürnehmlich noch nichts anders entledigen oder zubefreyen haben.*

THES.

THES. XXX.

Alios variarum gentium civitatumq; mores atq; statuta, quæ hac de re in viridi sunt observantia, silentii sipario involventes pedem nunc promovemus ad contraria, quæ colophonem dissertationi huic imponent: Illorum autem præter ea, quæ suprâ in th. X. & nonnullis sequentibus exposuimus, primum est Revocatio sive pœnitentia, per quam debitor, qui bonorum cessione usus est, re adhuc integra & facultatibus nondum distractis, tum subducto calculo se solvendo esse abindeq; nec opus habere bonorum cessione intelligens, contrariam voluntatem declarat & solutionem sufficientem creditoribus offert *l. 5. ff. de cess. bon. l. 2. C. qui bon. ced. poss.* exemplo debitoris, qui, antequam res oppignorata distraheretur, creditori suo debitum offert, aut eo illud recusante, pecuniam oblatam consignat & deponit; ita enim pignoris venditio impeditur *l. 8. C. de distract. pign.* Ratio hujus rei est manifesta, tum quia creditoris nihil interest cessionem revocari, siquidem hic, si continuationem cessionis semel oblatae urgere vellet, majus lucrum inde sperare non posset, cum ultra debiti solutionem nihil quicquam exigere possit & debeat, tum etiam, quia debitor ante distractionem bonorum cessorum perfectam dominus illorum esse non desinit, juxta sæpius notata in *th. XXVI & th. XXVIII.* Alterum, quod cessionem nostram impedire videtur, est beneficiû *Nov. 135.* quod ab Imper. Justin. concessum debitoribus, qui non suo vitio suâve culpa, sed solo fortunæ novercantis vitio ad extremam inopiam sunt redacti, ut hi à carceris molestia liberentur etiam sine miserabili cessionis beneficio, sive quamvis bonis non cesserint, si modò ejurent bonam copiam, id

est, jurent se solvendo non esse. Wann ein Schuldner/ der durch Unglücksfall umb das seinige kommen/ beteurlich vorgibt/ daß er nicht bezahlen könnte/ und daher omnibus actionibus sibi competentibus seinen Glaubigern dergestalt cediren wil/ daß sie hiervon einfordern und einbringē wie sie immer können und mögen/ daß der hierbey zu lassen und hierwieder nicht zu treiben seye. Mantz. *in patroc. debit. decad. 2. q. 2. n. 50.* quam tamen novellam Imper. Justiniani Constitutionem ulu receptam non esse post alios docet Petrus Gudelin. *de jur. noviss. lib. 4. c. 16. vers. tribuit.* imò ne quidē in vulgatis exemplaribus eam extare, sed à Neotericis esse insertam, ut proinde plenam fidem non mereatur, notat Bach. *in not. ad Wes. par. ff. de cess. bon. num. ult.* Hinc more hodierno sola cessio debitorē à carcere liberat, non inopia, non jusjurandum quod de ea præstare paratus est. Peretz. *in Cod. tit. qui bon. ced. poss. n. 11.* Bachov. *ad Tr. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. A. & B. in fin.* Gudelin. *d. l. Hahn. ad Wes. d. l. n. 5. in fin.* Et hæc sunt quæ de elegantia & in foro frequentissima cessionis materia pro institutione ingeniiq; modulo in medium proferre libuit. Non diffitemur quidem cuncta pro materiæ dignitate prolixius quàm à nobis præstitum est, diduci potuisse: sed hæc impræsentiarum nobis sufficiant. Te autem, Candide Lector, summo opere rogamus, ut quicquid horum sit, æqui boniq; consulere, & sicubi impegerimus, humanitatem & benevolentiam tuam in iis dextrè interpretandis ac corrigendis nobis haud denegare velis.

Sit igitur Deo ter Optimo Maximo laus, honor  
& gloria in sempiternum.

Co-



COROLLARIA.

**I**us Canonicum meretur juris obser-  
vantiam.

Clericus jurisdictionem judicis secularis in se  
prorogare nequit.

Nuptiæ inter comprivignos sunt licitæ.

Monstra in numero liberorum non sunt compu-  
tanda.

Quinq; dantur juris in re species.

Pro defensione rerum alterum occidere non licet.

Ex indicio sanguinis ex vulnere occisi presente  
suspecto occisore erumpentis judici ne quidem  
ad torturam, multò minus ad condemnatio-  
nem procedere licet.

Fœmina à successione feudi per masculum semel  
exclusa, perpetuò exclusa non censetur.

Nati ex fœmina à feudi successione regulari-  
ter arcentur.

Pacta

*Pacta confraternitatum inter familias Germaniæ Illustres inita licita sunt.*

*Imperator Auream Bullam abrogare nequit.*

*Natus ante adeptam à patre regiam dignitatem post eam adeptam nato in jure primogenitura præfertur.*

FINIS.

